

Ann. XVI.

ROMAE, Mense Martio MCMXIII.

Num. III.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PIO X PONT. MAX.

IN EIUS FESTUM NOMINALE S. JOSEPH A. MDCCCCXIII



Recentissima PII PP. X imago.
(Photographice espressit I. FELICI eques - Romae).

*Festa lux, verno tepefacta sole,
ecce Iosephi redit, monetque
me, vel incomptos, Decimo Piorum
edere versus.*

*Editos tu nunc, age, Vaticanam
defer ad Sedem, mea musa; valvas
pandet aeratas vigil hastiferque⁽¹⁾
ianitor ultro.*

*Principis sacri bicolore Signum
candet et flavet foribus sub ipsis;
tu salutabis, pia vota fundens,
nobile Velum.*

*Hinc adi scalas, Damasique vastam
vise, quae magnis nilet a fenestris,
aream, pulchris hodie refertam
undique bigis.*

*Purpuratorum globus inde Patrum
exit et fertur⁽²⁾ superas ad aulas,
ad precaturus Fidei Magistro
prospera quaeque.*

*Hos et affines, mea musa, ne tu
Praesules, cantrix petulans, sequare;
te fenestratâ decet in plateâ
sistere gressus.*

*Heic viris esto comes, arte cultis
musicâ, quorum litui tubaeque
hanc diem gaudent celebrare faustam
aere canoro.*

*Misceat vox se tua buccinarum
vocibus. Dices: «Tibi gratulatum,
Pontifex, veni, minimi pusilla
nuncia vatis.*

«Laeta Iosephi Tibi lux in aevum
rideat longum! Procul omnis absit
morbus et languor; via nec dolori
suppetat ulla!

«Fletus arescat tuus ob sororem
nuper ereptam! loca deserendo
plena dumorum, ROSA nunc beatis
floret in Hortis.

«Pax cruentatis redeat serena
Bosphori campis! Oriensque Romam,
unde discessit, positâ rebelli
mente, reverlat!

«Gallus, et Gallum male Lusitanus
aemulans, tandem sapient utrique!
Discat Urbs, discant Itali sacrata
iura vereri!

«Ac tuae Romae, Petrus unde terris
imperat cunctis, homo ne praeesse
pergat Hebraeus! Crucis ille Christi
sentiat ictus!»

Haec ubi iussu, mea musa, nostro
dixeris, Patrem rogabitis, ut te
meque, deducto Crucis in figuram
indice, signet;

signet et doctam resonare late
URBICAM VOCEM, pia quam latini
cura sermonis premit, et Petrinæ
gloria Sedis.

FRANC. X. REUSS.

(1) Vox hastifer usurpatur in Inscriptione romana anni a Chr. n. cccxxvi.

(2) Nempe per machinam scansoram.

Rerum index:

Pio X Pont. Max. in Eius festum nominale S. Joseph.
Quanam de causa iuvenes in litteris ediscendis languescant.
De Syllabi Pli PP. X propositione XXI.
De Leone XIII P. M. commentarius. Carpineti moratur. — Carmina
varia.
De quibusdam ex Constantiniana aetate in humanitatem ef-
fectibus.
Gratae iuventutis memoriae...
Colloquia latina. Domus.

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae
selectae. Ex Congregatione Rituum.
Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissiones. — Pontificiae electiones.
— Vita functi viri clariores.
Annales. Balkanicum discrimen. — Mexicanum civile belum. — In Mau-
ritania.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Aenigmata.
Appendix: Ad Romanum.

QUANAM DE CAUSA IUVENES in litteris ediscendis languescant

Quaerenti mihi saepe numero cur magis magisque in dies lenti iuvenes in litteras incumbant, nulla quasi pulchri specie excitentur, nihil ardore percipient, quin immo mollitie atque imbecillitate quadam torpescant, quod gravissimum est ac sane periculi plenum, id primum occurrit, nimis apud nos optimarum artium studia neglegi, nulla ope nisi ut earum cultus augeatur, quin etiam illud in animo haberit ut litterarum gravitas ac vis, quae tam accidunt ingenium, fere sit contemptui utilitasque parvi aestimetur. Quod quantum iuvenibus instituendis damno sit, nemo est quin videat.

Attamen, si iste litterarum contemptus ac negligentia unicuique nostri quam maxime displicet, si languescentia in dies studia triste praebent spectaculum, Italam gentem — proh pudor! — gravis haec quaestio non tangit, tamquam si pro certo habeat nullum vel parvum decus ex litteris proficiendi, nihil eis patriae omnino opus esse, unam veramque gloriam in armis inque finibus proferendis consistere!...

Qui loquor, id expertus affirmo: cotidie enim video, utpote cum meum sit litteras graecas latinasque discipulis tradere, mēcumque ipse queror, pertaesos iuvenes ad doctrinae studia se applicare, nullo animi motu scriptores veteres et praecipiūs p̄ae manibus volvere, vix ac fere per stimulus, ne dicam obiurgationes, veteris cultus et antiquorum institutorum aliquantulum intelligere. Neque obiciatur per nosmet ipsos stare ut parum in litteris iuvenes proficiant, quum mercedis in angustiis ac tot difficultatibus districti, parum attente nostro munere fungamur...

Quid hoc falsius maligniusve sit, nescio. Nos enim, p̄ae ceteris omnibus qui officia atque munera exercentes, rei publicae inserviunt, intus alimus flammarum, neque patiemur minime extingui, quippe qui nostri muneris praestantiae ac dignitatis quam maxime conscientia simus.

At redeo ad propositum. Dixi nuper nostris in scholis humanitatis studia a iuvenibus neglegi, nec me fecelli. Haeret enim, eorum animis infixā, vetus ac p̄ae iudicata opinio, nihil ad vitae usus conferre, nihil mentis exercitationem iuvare, nihil emolumenti atque fructus antiquitatis studia afferre posse. Hinc torpor ille et quasi rigida segnities in eis ediscendis, hinc — iuvat in hoc argumento aliquantulum morari — illa satietas quae nostros iuvenes cotidie capit, tamquam si fastidiendus quidam odor vel perniciousus omnino halitus ex veterum optimorumque scriptorum lectione effluat. Quo enim abiit priscus ac flammeus ille ardor, quo nostri maiores in haec studia incumbebant? Nonne

nostros avos videmus in versibus latinis recitandis inflammari? tot carmina tenaciter memoria custodire? Horatium p̄ae ceteris extollere, Tacitianam vim in historia conscribenda magnis laudibus efferre? Quid vero maiorum ferventi studio nostra potest iuventus obicere? Eandemne animi inflammationem? eandemne reverentiam? cultum? religionem? Minime, ut mea fert sententia. Nam idem tenet discipulos fastidium in litteris ediscendis ac in quadam tabula picta contemplanda. Ut enim haec, etsi pulchre expressa, eorum animos non allicit, non pectora movet, non pulchritudinis excitat amorem, quum illi tantum adament quod luxuriose, prodigialiter et fucatis, si id dici potest, pigmentis depictum sit ideoque oculos delectet ac sensibus blandiatur, sic optimorum scriptorum concinnitas, dulcedo, pulchritudo sane admirabilis non eos tangit; quin immo, ut nescio quid molestum, offendit. Dixeris morosiores istos offendit eodem pacto quo Ramnes, de quibus loquitur Horatius:

Celsi praetereunt austera poemata Ramnes.

(Art. poet.)

Quid vero censem de illis qui totam aetatem in litteris edocendis agunt quique meritissimo sane munere funguntur? Librorum helluones appellant et eos qui tantum in litteris elaborantes, non bene utantur tempore, sed in ludicris atque nugis insumant, ut genus hominum a communi remotissimum, quod priscae aetati eiusque cultui ac linguae adhaerens et toto pectore subnixum, circum se vitae frementis stimulus invitamentaque minime sentiat....

Neque id satis est: addunt enim huius generis disciplinam gravem sibi esse, quod velut intolerabile onus ac magnum quoddam impedimentum umeros opprimat fatigetque, et moleste obstet, ne quisque suas ingenii vires libere et, ut ita dicam, natura duce, evolvat. Quid ad rem si optimi Graecitatis ac Latinitatis auctores, optima quaeque tractantes, monumenta aere perenniora exegerint? Non illis egregia opera videntur, nihilque in se habere quod diligentiam exponeat; sed potius nugatorium quoddam ac leve, in quo tantum doctorum larvae, umbratilem fere vitam agentium, morari possint... Quid si insignis Homerus, egregia virorum facinora celebrando, optimum poëmatis epicī exemplar tradiderit, quod et antiquitus merito laudibus exornatum est, nunc et ab iudicibus sane doctis adamatur putaturque studio dignissimum? Quid si Tyrtaeus in *Martia bella mares animos versibus excuendo*, elegis et anapaestis virtutis hortamenta consisperit, adeo ut sui milites, acriter in hostem pugnantes, laeti abirent victoria? Quid si Aeschylus docuerit *magnumque loqui nitique cothurno?* si Plato, divinus, sapientissimus, sanctissimus, Homerus philo-

sophorum, ut aiebat Panaetius, in maximis de philosophia quaestionibus inexstincta vestigia impresserit, adeoque in eis tractandis fuerit diligens ut *amplius quod desideres* nihil futurum sit? Quid si Cicero virtutem Demosthenis in foro aemulando, tot vires ac nervos suis orationibus inseruerit, tanta eas suavitate dicendi atque elegantia exornaverit, ut *merito* summus evaserit orator, hodieque nos non sine fremitu atque animi commotione eius scripta legamus? Si Vergilius, Horatius, ut hosce poëtas præ ceteris afferam, litterarum latinarum decus ultra fines patriae portenderint latitumque sermonem ditaverint? Nihil aliud quam ineptiae, nugae et hominum imperitorum rumusculi!...

Sic, incredibili quadam levitate, vetustum aedificium, cui construendo tot illustrum hominum mentes atque ingenia subvenerunt, diruitur; sic nullo, prope dixerim, conscientiae cruciatu, præcipua scriptorum antiquorum opera in contemptionem adducuntur!

**

Atqui quam uberes fructus ex antiquitatis studio proveniunt! O utinam esset mihi calor et vis Mureti ad hoc plene et luculenter significandum!

Nam clarissimus Galliae Aquitaniae scriptor, in duabus illis orationibus quas habuit Venetiis: « *De laudibus litterarum* » et « *De utilitate ac præstantia litterarum humaniorum adversus quosdam earum vituperatores* » ut par erat ostendit, in magno virorum consessu, quaenam in litteris inesset dignitas, quid emolumenti ex eis ediscendis perciperetur, quantum denique se fallerent qui, litterarum tractationem leve quiddam ac nugatorium existimantes, in id studiorum genus acerbe invehementur. Eae enim orationes dignae sunt quae vel hodie in nostris scholis legantur ac fere mandentur memoriae: multa quidem ac certissima testimonia invenies, si quid tibi otii erit, cur vel poëtarum fabulae non levia quaedam et frugis expertia otiosorum hominum commenta sint, sed omnis doctrina elegans, omnis ingenuo homine digna cognitio, omnis denique sapientia sub illis velut involueris atque integumentis contineatur! « Non igitur — sinite ut unam hanc integrum sententiam saltem afferam — quum poëtarum libros interpretamur, inanibus fabellis, nutricum more, animos ducimus; sed sementem quamdam virtutis atque doctrinae facimus; non in levibus minimeque frugiferis rebus operam sumimus; sed præcepta sapientiae, quo facilius in animos influant, insatiabili quadam admirabilium rerum varietate condimus ». Audiant iuvenes ista perquam fide digna clarissimi scriptoris verba, huic auctoritati pareant præceptaque diu animo teneant infixa.

Neque valet illis testibus uti qui iam inde a saeculis XVII et XVIII optimarum disciplinarum studium utilitatemque contemnere ac fere omnino negare ausi sunt.

Dicat Pascalius antiquos nos esse prä illis qui hoc nomine appellantur, quippe qui humanum genus iam aetate provectum constituentes, doctrina atque usu longe eis superiores evadamus, idcirco nobis palmam deferri oportere.

Dicat et Cartesius minime se posse intelligere cur boni viri esse debeat in latinas graecasque litteras potius quam in sermonem helveticum vel angulum ediscendum incumbere! Eorum sententias — neque sine aliqua reverentia adversus præstantissimos philosophos hoc sit dictum — facile tempus vel potius vivax illa virtus quae inde e litteris ipsis manat, redarguit refellitque.

At quid altius auctoritatem et exempla repetam? quid vetus afferam testimonium, quum vel apud nos non desint qui, litteris imbuti earumque vim, efficaciam, splendorem, decus, utilitatem, ut certam stabilemque sententiam sane confirmantes, in obtrectatores vehementer cooriantur ac summa ope studeant ut merita laus illis tribuatur? Quid dicam de libris, de commentariis, de omnibus denique scriptis quae in id unum intendunt? At, præ ceteris, in medium afferatur FRACCAROLII auctoritas qui, vir summo ingenio ac summa exquisitaque doctrina, quanam cognitione in penitiores litteras graecas inquisiverit et quantum de illis bene sit meritus, inter omnes doctos constat. Is enim, superiore anno, in commentario qui inscribitur « *Atene e Roma* », (1) his fere verbis utebatur (aggredior eius prosam doctam, elegantem, plerumque subtilissimis argutiis inspersam in latinum convertere; at quam longe ab ipsis scriptoris verbis disto!): « In litteris graecis et latinis nostra institutio tamquam in solidis fundamentis nitatur; rei publicae servitutem minori esse abiectioni quam mentis atque ingenii; quam alteram servitutem si cupiamus exuere, nullum aliud remedium dari posse nisi ut e doctae splendidaeque antiquitatis fonte copiose hauriamus... ».

Verum, si quid huius languoris mollitiaeque in litteris excolendis, quae non sine querimonia nuper dixi, ipsi discipulorum ingenio tribuendum est qui, plures ob causas a studiis distracti, parum libenter in id intendant quod ad libros pervolvendos atque mentem, velut in palaestra, exercendam cogat, equis dubitare poterit quin penitus radices malum immiserit eiusque origo altius repetenda sit? Nonne enim in annos doctae antiquitatis studium imminui ac refringi videmus? Nonne modo hic, modo illie aliquid eius dignitatis atque incrementi detrahitur? nonne palam fit, in omnibus iussis quae in singulos fere dies alia alia subsequuntur ac prope inter se pugnant, obstinatior voluntas omnem priscum thesaurum, omnem antiquam disciplinam paene e nostris scholis, ut quaedam vilia seruta,

(1) An. XV, n. 165-166, Florentiae.

eorum similia quae quondam praeco horatianus tunicato popello venditabat, depellendi?

Constitutum fuit, exempli gratia, usque ad annum superiorem, una cum optimis scriptoribus graecis vertendis atque litterarum monumentis ediscendis, ut discipulis breviter doctores explicarent quae graecorum institutorum quasi speciem adumbrare possent, quaeque ad vitam graiae gentis illustrandam, illius scilicet gentis quae monumenta mirae pulchritudinis edidit, graviores artes invenit, omnia denique promovit ex quibus hic noster cultus atque humanitas initium dicit, aliquid conferrent. Ex quo studio quantum delectationis utilitatisque proficiscatur, nemo est qui neget. Vel intra angustos fines inclusa, haec disciplina — vulgo *cultura greca* — magno est adiumento ac suos fructus edit. Quid vero paulo post fit? E scholis eicitur... Quod quantum nobis iuvenibusque ipsis displicuerit, inutile est dictu.

Cum ita se res habeant, quum in hoc velut iussorum conflictu agamur, equis in litteris progressus sperari potest? Poteritne schola, ea quae speramus, dare? allicienturne iuvenes ad litteras colendas summoque amore prosequendas, si ipsi primi vident cotidie non certis ac firmis legibus gubernari eas, haud multum illarum studium summis moderatoribus cordi esse, non quid sit eis propositum statui?

Oportet opportunis iussis litterisque passim missis ut iuvenes admoneantur suum esse quam maxime ad doctam antiquitatem se convertere, suum esse in illis doctrinae studiis exerceri, ex quibus tam splendida lux emanet, suum esse exemplaria graeca et latina versare, ut digni sint maiorum virtutibus externisque gentibus ostendant nunquam apud nos antiquitatis cultum extinctum esse, nunquam fore ut extinguatur. Hac ratione tantum iuvenes emendati rectam viam ingredi poterunt; his consiliis freti digni fient qui perfectissimum quidquam animo et cogitatione concipientes, ad effectum perducant.

Scribebam Beneventi, post. Id. Febr. a. MCMXIII.

M. GALDI.

DE SYLLABI PII PAPAE X propositione XXI

Saeculo XIII Almaricus Benensis († 1204) fuit, qui tum Legem veterem tum Legem Novam imperfectas esse affirmabat. Professor Döllinger quoque, novam Spiritus Sancti effusionem futuram esse asseruit. Qui-dam denique inter « Protestantes » sentiebant, Ecclesiam Petrinam, idest catholicam, ecclesiamque Paulinam, idest « Protestanticam » imperfectas esse, progressuque temporis Novam Spiritus Sancti vel S. Ioannis Ecclesiam orituram esse. (1)

(1) Cf. MÜLLER *Theol. Mor. L.* 1, 55, 45.

Novissime Modernistae, doctrinae « evolutionismi » faventes, circa Revelationis depositum, denegant ab initio nec in germine exstisset dogmaticas affirmationes, quas temporum progressu Ecclesiae magisterium determinatis expressit formulis. Ab initio — inquit, (1) forma religionis quaedam, absque determinata forma et absque dogmate (*amorfa adommatica*) invaluit, quae in formam quamdam concretam postea lente evoluta est. Causae huiusmodi evolutionis diversae sunt; idest, vel necessitas communicandi collective, vel necessitas manifestandi fidelibus sub forma abstracta principia quibus activitas religiosa eorumdem dirigi oportuit, vel labor scriptorum christianorum, vel controversiae cum haereticis. Ideoque in Modernistarum sententia, divina revelatio, neque ab initio neque modo completa foret. Contra huiusmodi errorem sunt:

a) Damnatio Ecclesiae. — Est auctoritas Conc. Vaticani (Sess. IV c. 4 *de Rom. Pontif. infall. Magisterio* Denz. 1629): « Neque Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent ». Est propositio Syllabi Pii P.P. X (21.^a): « Revelatio obiectum fidei catholicae constituens non fuit cum Apostolis completa ».

b) Auctoritas Scripturae. — Sint huiusmodi textus. Apud Matth. (XXVIII, 20) Christus loquitur Apostolis dicens eis: « Docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis ». — Ioa. (XVI, 13): « Ille Spiritus veritatis, docebit vos omnes veritatem »; et postea (c. XVII, 20) Christus ait: « ... Rogo... et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum (Apostolorum) in me ». — Gal. (I, 9): « Si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit ». Depositum revelationis igitur iam fixum et permanens in sua essentia appareat.

e) Motiva theologica. — Status mundi, — inquit Angelicus (2), — variari potest secundum diversitatem legis; et sic huic statui novae legis *nullus* alias status succedit. Successit enim status novae legis statui veteris legis, tamquam perfectior imperfectiori. Nullus autem status praesentis vitae potest esse perfectior quam status novae legis; nihil enim potest esse propinquius fini ultimo quam quod immediate in finem ultimum introducit; hoc autem facit lex nova; unde Apostolus dicit, (ad Hebr. X, 19): Habentes itaque fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, accedamus. Unde non potest esse aliquis perfectior status praesentis vitae, quam status novae legis: quia tanto est unumquodque perfectius quanto est ultimo fini propinquius ».

Contra vero somniantes novam Spiritus Sancti effusionem Angelicus animadvertisit: (3) « Non est exspectandum quod sit aliquis status futurus, in quo perfectius gratia Spiritus Sancti habeatur, quam hactenus habita

(1) *Il Programma dei Modernisti*, p. 79.

(2) 1-2^{ae} 106. a. 4.

(3) *Ibidem*.

fuerit, et maxime ab Apostolis, qui primitias Spiritus acceperunt (*Rom. VIII, 23*): Nos ipsi primitias spiritus habentes». Praeterea, perfectione depositi revelationis denegata, Ecclesiae identitas simulque Ecclesiae infallibilitas perirent.

* *

Neque audiendi sunt Modernistae, dum voce atque conceptu *progressus* abutuntur; alias est enim progressus ab Ecclesia adseritus, alias progressus Modernistarum. Progressus catholicus in veritatibus Ecclesiae a Vincentio Lerinensi defensus, 1º Est *quidam veritatis profectus*: «O Tractator, o Doctor pretiosas divi dogmatis gemmas exculpe, fideliter copta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur, te exponente, illustrius quod ante obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen quae didicisti doce, ut cum dicas nove, non dicas nova... Fas est enim ut prisca illa caelestis philosophiae dogmata processu temporis excurentur, lumen, poliantur... Accipient, licet, evidentiam, lucem, distinctionem».

2º In *progressu hoc, nulla est permutatio veritatis*. «Profectus sit ille Fidei non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet ut in semetipsa unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia... Nefas est ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur...»

3º *Progressus iste explicatur similitudine ex augmento corporis humani desumpta*. Corpora licet «anorum progressu, numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quae erant permanent. Multum interest inter pueritiae florem et senectutis maturitatem: sed iidem tamen ipsi fiunt senes qui fuerant adolescentes; ut quamvis unius eiusdemque hominis status habitusque mutetur, una tamen nihilominus eademque natura, una eademque persona sit. Parva lactentium membra, magna iuvenum, eadem ipsa sunt tamen. Quot parvolorum artus, tot virorum: et si qua illa sunt quae aevi maturioris aetate pariuntur, iam in feminis ratione praeserta sunt; ut nihil novum postea proferatur in senibus quod non in pueris iam ante latitaverit. Unde non dubium est hanc esse legitimam et rectam proficiendi regulam, hunc ratum atque pulcherrimum crescendi ordinem». (1)

E contra Modernistarum progressus, non est profectus, sed *regressus*; non perfectio veritatis, sed veritatis *permutatio*; non veritatis in identitate conservatio, sed veritatis *corruptio*!

REGINALDUS FEI O. P.

(1) Common., I, c. 22, 23.

DE LEONE XIII P. M.

COMMENTARIUS⁽¹⁾

IV. — Carpineti moratur. — Carmina varia.

Roma profectus, muneribus praemiisque onustus, paterna rura alacer petuit, ut ibi valetudinem suam curaret. Laboribus enim paene accisus, animum otio relaxare sperabat. Et ipse consentiebat immodicum fuisse nimiumque in studiis. Haud ita tamen solatium ex otio atque in aedibus paternis, quod haeribat satis erat; namque moestitia animi laborabat, quod tamdiu mater, moerore confecta, in omnium luctu praerepta, haud amplius hilaritate vultus orisque pietate eum recrearet. Et frater quoque, morte antea interemptus, cum quo coniunctissime vixerat, animi angorem augebat. Atque adeo tot lamentabilibus casibus ita erat affectus, ut nunquam antea meminerit se tantum capere animo dolorem. Et ipse morbo implicitus magno in periculo versabatur.

Per idem fere tempus firma concepit mente carmen quod longo tamen intervallo in lucem edidit. Qui moestitiae sensus in ipso, quae verborum sententiarumque proprietas! Nemo est qui vel nunc tristissimas ex oculis lacrimas non eliciat! Tute ipse perlegens facile hanc meam sententiam adprobaveris. Ei est titulus:

DE VALETUDINE MEA.

Puber bis denos, Ioachim, vix crescis in annos;
morborum heu quanta vi miser obrueris!
Iuverit hos fando tristes memorare dolores,
Et vitae aerumnas dicere carminibus.
Nocte vigil, tarda componis membra quiete,
viribus effetis esca nec ulla levat.
Languentem stomachum; depresso lumine ocelli
caligant; ictum saepe dolore caput.
Mox gelida arentes misere depascitur artus
febris edax, mox et torrida discruciat.
Iam macies vultu adparet, iam pectus anhelum est;
deficis en toto corpore languidulus.
Quid tibi biandiris, longos quid conspicis annos?
Atropos horrendum mortis adurget iter.
Tunc ego: «Non trepida frangar formidine: mortem,
dum properat, fortis laetus et opperiar!
Non me labentis pertentant gaudia vitae,
aeternis inhians nil peritura moror.
Attingens patriam, felix erit advena, felix
si valet ad portum ducere nauta ratem!

Quid est nobis dulcius, quid hoc carmine suavius? Hoc ipse Catullus laudaret, nec sibi si quis ei adtribueret, spernendum esse putaverit.

Placent prae ceteris novissima verba, quae mortalium mentem ad sidera tollunt, dum inanes poetarum veterum sententiae nunquam in meliorem sensum nos rapiunt, neque divina quadam fiducia animos recreant.

(1) Cfr. num. sup.

E contra noster, caelestibus rebus refectus, adsurgens canit :

Aeternis inhians nil peritura moror!

Hic libenter ponam iisdemque laudibus meritisque dignum et illud carmen quod multo post exaravit.

Anno enim saeculi elapsi MDCCCLXIV aquam saluberrimi haustus Carpinetum adducendam curavit, et sic festivis versibus loquentem fontem introducit :

*Leniter exsiliens Pandulphi e colle superna
huc e nativis deforver unda iugis.*

*Nam qui romani Ioachimus Peccius ostri
primus natale hoc auxit honore solum,
per caecos terrae, plumbo ducente, meatus,
oblitam patriae me iubet ire viam.*

*Improvisa quidem, sed gratior advena vobis
ultra, municipes, candida, inempta fluo.*

*Huc ergo properate : adsum nam sacra saluti,
munditiae, vitaeque usibus et charisin.*

Nihil autem dulcius et verius carmine quod de se ipso composuit an. MDCCCLXXV. Est vitae suae omnis pressius atque elegantissimum compendium.

Et hoc animi causa integrum referam, opportunis notis illustratum :

*Quam flore in primo felix, quam laeta Lepinis
orta iugis, patrio sub lare, vita fuit! (1)*

*Altrix te puerum. Vetusonia suscipit ulnis,
atque in Loyolea excolit aede pium. (2)*

*Mutia dein Romae tenuere palatia : doctis
florentem studiis Academia tenet. (3)*

Tempore quo, meminisse iuvat, praedivite vena

*Manera et Patrum nobilis illa cohors
mentem alit, et puro latices de fonte recludens,
de Sophiae atque Dei scita verenda docet. (4)*

Romae sacra litas : Romae tibi iuris alumno

*parta labore comas laurea condecorat.
Addit mox animos et vires Sala secundas,*

*princeps romano murice conspicuus ;
auspice quo cursum moliris, mente volutans*

usque tui tanti dicta diserta senis. (5)

*Dulcis Parthenope, Beneventum dein tenet, aequa
ut legi Hirpinos imperioque regas.*

*Te gremio laeta excipiens Turrena salutat,
rectorem atque ducem vividus Umber habet. (6)*

*Sed maiora manent; en chrismatis auctus honore
Pontificis nutu Belgica regna petis,*

*atque tenes, adserturnus sanctissima Petri,
Romanae et fidei credita iura tibi. (7)*

(1) Carpinetum est oppidum in Volscis prope Signiam in sinu montium quos Lepinos vocant.

(2) An. 1818 cum Iosepho fratre V.terbum mittitur, et sodalibus e S. I. instituendus traditur.

(3) Defuncta matre an. 1824, apud avunculum Romae diversatur in palatio Marchionum Muti, ac deinde in Academia Nobilium Ecclesiasticorum.

(4) Franciscus Manera S. I. vir ingenio et doctrina praestantissimus, aliquique Patres clarissimi.

(5) Ioseph Antonius Sala Card. peculiari benevolentia adolescentem complectitur, et sapientibus monitis et consilii plurimum iuvat.

(6) Laurea doctoralis insignitus, post susceptum sacerdotium, a Gregorio XVI P. M. inter antistites Urbanos Pontificales adsciscitur an. 1837, ac postea provinciarum Beneventi, et Perusiae gubernator constituitur.

(7) In sacro Consistorio, habito an. 1843 die 27 Ian., archiepiscopus Damiatensis elegitar, et Apostolicae Sedis Nuntius ad Belgas mittitur.

Redditus at patriae, brumali e littore iussus

Ausoniae laetas et remeare plagas;

Umbros en iterum fines, urbemque revisis

quam tibi divino flamme sponsat amor. (1)

Iure sacro imperitas ter denos amplius annos

et pleno saturas ubere Pastor oves. (2)

Romanico incedis Princeps spectandus in ostro, (3)

Belgarumque equitum torquis honore nites. (4)

Te pia turba, Deo pubes devota, sacerdos

certant obsequiis demeruisse suis.

Verum quid fluxos memoras, quid prodis honores?

Una hominum virtus ditat et una beat.

Scilicet hanc unam, aeo iam labente, sequaris,

ad superos totum quae tibi pandat iter !

Aeterna donec compostus pace quiescas,

sidereae ingressus regna beata domus.

Ah ! miserans adsit Deus eventusque secundet :

aspiret votis Virgo benigna tuis.

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

(1) Perusia a turribus, quibus muniebatur, dicta est Turrena.

(2) An. 1845 a Gregorio XVI P. M. in sacro Consistorio die 19 Ian. habitu, ad sedem Perusinam provehitur.

(3) An. 1853, in sacro Consistorio habitu die 19 Dec. a Pio IX P. M. Presbyter Cardinalis renunciatur titulo S. Chrysogoni.

(4) Belgica legatione perfunctus, a Leopoldo I Belgarum rege inter equites torquatos Ordinis Leopoldiani adlectus est.

DE QUIBUSDAM EX COSTANTINIANA AETATE

IN HUMANITATEM EFFECTIBUS

Humanae vicissitudines, quae populorum regimen nationumque vitam perturbant ac mutant, legibus semper bonisque artibus ac monumentis profunda relinquunt vestigia. Haec enim, iuxta civilem populi praevalentis cultum, aut incrementum accipiunt, aut deprimuntur; plerumque tamen parum, si quid est, suo robo de scidunt.

Victoris laudes gemitusque victi haud raro celebrant musae ac posteris memoriam tradunt: gloriosa enim imperatorum gesta ingenii venam excitant poetis; monumenta denique et ipsa novis maximisque evenib[us] afflantur, atque humana instituta eorumque cum religione congruentiam commemorant.

Multiplex hoc argumentum qui velit circa Constantini tempora, et quae proxime sequuta sunt, evolvere, post scilicet relatam ad Saxa Rubra de tyranno Maxentio victoriā, complurium voluminum materiam habebit conscribendam. Nulla fortasse alia aetas est, quae grandiora populis pepererit bona quam Constantiniana illa; ac procul dubio ad civilem cultum hominisque prosperitatem quam maxime contulit.

Verum enimvero haud de hostibus imperii, sed de Romanis legionibus profligatis Constantinus triumphavit; quapropter Maxentii debellatio et occisio, veluti spurci crudelisque tyranni caedes, posteriorum quidem memoriae tradentur, at nihil de fratricidiis praeliis memorabitur.

Leges, contra, omneque aliud civile institutum provehetur, ac brevi tempore ad talem celsitudinem pervenient, ad quam assequendam, secundum ordinarium eventuum cursum saecula non sufficerent. Tanti autem pro humanitate emolumenti quaenam fuit caussa? Plurima huic dari possunt quaestioni responsa, quae nihilominus ad unum reducentur; nempe Christianae religioni eadem atque ethnico deorum plurimorum cultui iura facta sunt, seu quod Christiana imbui sapientia, Christique fidem libere profiteri quisque potuerit. In Christiana enim doctrina, quasi semen reconditum, illa iacebat lex, quae optime hominis rationi congeret sive in se, sive ut civitatis familiae membrum homo spectetur; quod quidem semen, ut radices mitteret fructusque produceret nihil, nisi aptam sibi conditionem, requirebat.

Quum Romae Christiani factionis veluti corpus haberentur, haud a ceteris, iuxta populi opinionem, distinguebatur sectis, quibus Urbs, Caesarum temporibus, scatebat. Quapropter, etsi non pauci ad Christum attrahi possent, vel inter magistratus, id tamen parum novae doctrinae propagationi moribusque ethnicae societatis proderat; sed fidelium tantum numerum persecutionibus imminutum abundanter restaurabat.

Ut vero evangelica sapientia leges afflaret, ac supra veluti iustitiae norma in re publica haberetur; summam tam civilem quam relligiosam potestatem, seu ipsos supremos legumlatores Christi fidem, eamque ethnico cultui aequatam, amplecti oportebat. Sic enim, non solum leges ad Christianam doctrinam exemplatae condi possent, sed et populus ad illas recipendas observandasque paratus inveniretur; res vero haud secus ageretur ac si ethnici cultus nova praecepta in natione afferrentur.

Deo igitur provido debetur, quod Constantinus Magnus paganae relligionis pontificatu maximo esset insignitus, neque eiusmodi potestatem, Christianus licet effectus, deponeret; ita enim neque ethnicis (saltem aperte) invisus, et Christianis protector patronusque exstitit, ac tales emanare potuit leges, ut vel hodie sapientissimae reputentur, in quibus vel nostra habeant praecipua instituta civilia fundamentum.

Ad artem vero quod attinet, Constantiniana aetas felicissima dicenda; non solum quia quidquid iam vigebat novo resplenduit decore, verum etiam quia novi artis modi adinventi sunt, quibus altissima ac prorsus inauditae magnitudinis ac pulchritudinis templa erigerentur. Quod utique nova quoque exigebat Ecclesiae facta libertatis lex, praesertim Romae et in occidentalibus provinciis, ubi templa ecclesiae domesticae vocabantur, propterea quod in ipsis patriciorum Christianorum domibus erant constituta; proindeque nec satis tuta ac libera extarent, et, magis in dies fidelium numero crescente, angusta nimis evaderent.

Ars praeconstantiniana necessario funeraria appetet, quum publica monumenta, praeter sepulcra, haud pos-

sent aedificari, quae Christianas cogitationes exhiberent. Iotas vero apud sepulera expressas easdem fuisse quae in vetustissimis funerariis precibus inveniuntur, explogata res est. (1) Videlicet ipsae preces, quoties cadaver aliquod loculo componeretur, per cryptas resonantes, artifices veluti afflabant, qui, in depingendis sepulcrorum parietibus, easdem biblicas historias precibus commemoratas coloribus represebant.

Pace Ecclesiae per Constantini ac Licinii Mediolanense edictum concessa, eaedem cogitationes in sepulcris, etiam sub dio, vel in basilicarum atris constitutis, apparent; sed nova haud pauca effinguntur tempora sua Ecclesiaeque novas conditiones redolentia, nempe Ecclesiae triumphi; quaedam autem novae cogitationes apertius proferuntur, inter quae Petri super ceteros apostolos praecellentia, eiusdem cum Christo Domino similitudo, (2) Christi gloria divinaque maiestas, eminent.

Quod si pro sepulcris talia elaborantur, quid fiet in templis ubique ac libere, electa materia abundantibus, suppeditatis auxiliis, aedificatis, necnon luce meridiana aut innumerabilibus lampadarum flammulis colustratis?

Primum quidem Romanae artis formae praecipue in sacris aedificiis erigendis adoptabuntur; in maiores tamen dimensiones evolutae. Hinc in maximis templorum absidibus decorandis, Christiani artifices novum quid efficient, quum nullibi unquam tam latae superficies opere musivo, tesseris auratis ac vitreis coruscante coniectae apparuerint. Cuius quidem rei exemplum pulcherrimum Romae, apud ecclesiam S. Pudentianae, vide-re est, in quo, pone Christi aliorumque personarum plurimum imagines, urbs quaedam deprehenditur arte exquisita musivo depicta; quam alii Hierosolymae, alii ipsius Urbis delineationem putarunt.

Sed ipsae architecturae lineae paullatim mutantur, praesertim in orientalibus regionibus, novaque huius artis problemata resolvuntur. Iam paullo ante Mediolanense edictum (312) aliquid novi in arte construendi inductum fuerat, ut inter ruinas Diocletiani Palatii apud Spalatum cernere fas est. At ipsa orientalis architecturae elementa cum Romanis elementis commixta templis construendis adhibita, tantum ecclesiis contulerunt artis decoris, eorumque compositio ita proprior templorum factus est stilus, ut nemo hodie architectus praecipua quae nobis manent eius stili exemplaria sciret imitari.

Huius novi stili, quem Byzantium vocant, omnium pulcherrimum monumentum est Constantinopolitanum templum S. Sophiae, quod Deus concedat ut ad Christianum cultum quamprimum et ad pristinum decorem restituatur.

XYSTUS SCAGLIA O. C. R.

(1) Cf. opus meum: *Notiones archaeol. Christ.*, Vol. II, pars 2.

(2) Cf. Vox URbis, mense Septembr. MCMX-Febr. MCMXI.

GRATAE IUVENTUTIS MEMORIAE... ⁽¹⁾

*Est iter in pulcram nemoroso tramite Villam ⁽²⁾
 Frondibus obductum lauri, quae sole cadente
 Purpureo raro rum umbracula lumine inaurat.
 Per faciles callis flexus via cūcit ad amplam
 Planitatem, cuius latera undique consita laetis
 Arboribus curvo praeexit plurima gyro
 Sylva, levem tenebris suadens aprica quietem.
 Hinc atque hinc molli carentia marmore signa
 Obtinuere locum foliis vel condita densis.*

*Hic nymphe sedet ad sacrum succincta Diana
 Forte datura haustas illimi e flumine lymphas
 Armigerae manibus divae; innixusque capellā
 Pan Deus Arcadiae cera coniungere plures
 Instituit calamos, septem discrimina vocum
 His imitans: contra, pratorum gaudet aperto
 Lumine Amor Matris geminas ad laeta columbas
 Pabula pastor agens; venas inflatus Iaccho
 In tereti saxo securae oblivia vitae
 Carpebat somnum Faunus; delapsa iacebant
 Serta procul catiti aeterno intertexta amarantho
 Nympharum manibus, nec earum cura madentī
 Vinoso somnis: haec illic copia prostat
 Marmoris, hisque fere similes habet area formas.*

*Fons sonat in medio nitidis argenteus undis
 Multiplici lapsu, varioque volumine aquarum
 Colludens: viridi e topo media emicat alte
 Unda fugax, pluresque ingenti aequata cylindro
 Procurrens trahit adverso sub sole colores.
 At raptim salientis aquae cum murmure leni
 Excipiunt latices subiecto concava in alveo
 Marmora; et irriguas circum violaria lymphas
 Halantesque bibunt herbae: nam quotquot odori
 Vere sub extremo septis nascuntur in hortis
 Purpurei flores, apibus gratissima dona,
 Tellurem late foliis gemmantibus ornant.
 Areolae rident permulta gramine oleni
 Concluduntque sinu foecundum dulcibus auris
 Veris opus: quales pellucida flumina propter
 Eurotae tenero gignuntur cespite myrti.*

*Orbis in extremo, domus alta cacumine cultaque
 Assurgit, sacraeque ministrat commoda pubi,
 Quae studiis lassata, Autumni tempore, sive
 Qua vetus ostental pulcherrima rura salubri
 E clivo deducta Urbem unde et prospicit aequor
 Oppidulum, ⁽³⁾ laetis fallens sermonibus horas
 Otia agit secura fruens vitalibus auris;*

(1) Clarissimus ille vir, qui Armororum socii carmen, duobus abhinc mensibus ad nos misit, qua est in nos benignitate altero hoc *Vocis Urbis* paginas voluit decorare. Sint illi debitae grates; sint et gratulations; carmen enim hoc etiam, sexdecim vix annos natus ille compositus!...

(2) Villa, de qua loquitur poeta, Romae sita erat ad clivum Esquilium, et subversa est ut ferriviae stationi locum cederet.

(3) Hoc est Tusculum; Vulgo *Frascati*.

*Sive suburbanam laet⁹ tendit pede Villam.
 Post, ubi mens recreata simul viresque receptae,
 In ludum iuvat ire. Valentēs atterit annos
 Quisquis pampinea requiescens leitus in umbra
 Ver agit aeternum: sibi sic Romana iuventus
 Indoluit quondam patrium attenuasse vigorem.*

*Huc ubi deveni, festiva luce frementes
 Laetitia iuvenes mihi se ostendere galero
 Protecti, in multos at se diffidunt hiatus
 Fastigatus apex. Talos subrustica ad imos
 Illudit vestis, pannoque intexta nigranti.
 Haec illis chlamys: at manibus nodosa gerebant
 Robora, queis pastor si forte cubare colubrum
 Viderit admordentem oneraret fortia membra.
 Liminaque ingressus fulvo laqueata metallo,
 Vidi alios inter sese certare paratos
 Cantibus, aeque illis numerosa remurmurat Echo.
 Dulcisonum socius tangebat labilis errans
 Pollice ebur quadrulis textum, scitusque canoras
 Explorare notas, digitis modo acuta ferire,
 Moxque graves reddens sonitus vocale premebat
 Dextera ebur, rapideque etiam sub pollice tactae
 Exiguo obstrepere sono quadrulaeque, fidesque.
 Vel levis impellens, querulos modo dulce ciebat
 Tinnitus, pedibusque intensas ordine chordas
 Ad numeros cautus certos tenditque remittitque.*

*Omnia quae molli quoniam moderamine aguntur
 Delectare meos poterant non fallere sensus:
 Nam placidum murmur, veluti cum Aurora fugatis
 Sideribus roseo vix primum effulsit Olympo,
 Turba avium in sylvis nascentia lumina solis
 Provocat arguto cantu; hinc nemus obstrepit omne
 Inclamantque cavae valles, montesque supini.
 Nec tamen (in tacitis quamvis admurmuret arvis
 Aligerum cantus) mulcet non gratior aures.
 Atqui ita non agitant sollemnia festa profani
 Dum rapidus choreae vortex ⁽¹⁾ se circinat auris
 Saltantesque gravat: dum tympana pulsa sonorem
 Aere crient raucum, laxis dum immissus habenis
 Perque choros agitur furor et convivia laeta,
 Ebrietasque animos in coecas concitat iras.
 Praeses sancte, tuis inerat sed risus ephesis
 Ingenuusque pudor, mens candida in ore nitebat,
 In gestu virtutibus aucta modestia miris.
 Felices, quibus impendis curam atque labores,
 Felices nimium pueri, qui pace fruuntur,
 Lege sacerdotum certi se iungere quondam
 Posse Deo, cuius nunc mollia iussa sequuntur.
 Emisso stygii latebris fremat invidus hostis,
 Augeat et caedes; nunquam Vos turbine raptos*

(1) Vulgo *Valzer*.

*Involvent turpes curae, atque illapsa cupiao
Impia bella Deo, sacrisque indicere sceptris.
Quare oculis egomet, Praeses, cum talia vidi,
Conceptam dudum magis exarsisse medullis
Persensi flammarum, nimirum adsciscier almo
Coetu, quem facili sapiens moderaris habena.
Hoc erat in votis; nec enim ut traducere laetus
Romanis autumni frigora mixtus ephesis
Ipse velim, Thermae qua procubuere vetustae.
Sed tantum ingenuos ut possim inducere mores
Atque bac pace frui, caelo quae labitur alto,
O iuvenes, quorum sine labe est vita peracta,
Quique Deum posthac castae velamine frugis
Obductum, fors thuricremam apponetis ad aram.
O quis me rapit? In caelum feror arduus altum,
Contemplorque Deum: turpes abscedite curae.
Casta placent Superis; pura cum veste sacerdos
Iam videor Christum, dum verba potentia dico,
Stellantis caeli regnis excire volentem.
Flecte genu: Deus ecce, Deus! Curvamini et omnes...
Quod mea mens inhiat divino percita ab oestro,
Dux optate, dabis; Tibi nunc mea credita vota,
Namque meis plene Tibi fas occurtere votis.*

NICARINUS.

COLLOQUIA LATINA

Domus. (1)

IOANNES. — Est tibi notitia cum insulario ampliae atque elegantis huius domus?

LEOPOLDUS. — In primis, et est asseclae patris mei admodum propinquus.

I. — Rogemus eum, ut nobis eam omnem patetfaciat; nam ferunt nihil fieri posse amoenius, nec delectabilius.

L. — Pulsemus fores tintinnabulo ne irrumpamus inexpectati. At, at!

VITRUVIUS. — Quis istic?

L. — Ego sum.

V. — O salve multum, dulcissime adolescens! Unde tu?

L. — E ludo.

V. — Qua igitur gratia huc?

L. — Sodalis hic meus et ego vehementer cumpimus hasce aedes visere.

V. — Nunquam spectasti?

L. — Ego non totas; hic earum nihil.

V. — Ingredimini. Heus, Marce, affer mihi claves ostiorum! — Primum hoc est vestibulum; patet semper interdiu absque ianitore, quod nec intra domum est, nec tamen extra: noctu clauditur. Contemplamini portam magnificam, valvas e robore,

(1) Ex latinis colloquiis IOANNIS LUDOVICI VIVES passim retractavit hodlernisque moribus accommodavit, I. F.

munitas aere; utrumque limen, et infimum et superium, ex marmore alabastrite... Sequitur ostium atrii, quod atriensis servus custodit. Tum atrium spatisum ad deambulandum, antiquis vasibus et amphoris, ut videtis, ornatum. Nunc vero non magnas scalas, quae huc in publicum ferunt, ascendamus, sed istas cochlides, secretiore ambitu, servis destinatas: rectiore via ad superiorem domum nos adducent.

I. — Numne scansoria cellula hic est, in qua scilicet per electridem aut aliquam virtutem aliam aedium fastigia capiantur?

V. — Mechanicae officinae commissa est, sed nondum perfecta.

I. — Tum equidem rectissima ac citissima via ibitur; imo etiam sine labore! .. Atqui hic ascensus, quem persequimur, difficilis admodum praebetur.

L. — Sed tamen, Deo adiuvante, per gradus hos ex marmore basalte, ni fallor, incolumes ad primam contignationem pervenimus.

V. — Haec habitatio est domini. Coenaculum superius hospitale est, non quod herus meus faciat coenacularium; sed paratum est hospitibus, amicis; ornatum, semper instructum et vacuum, nisi quum adsint hospites. Hoc est triclinium.

I. — Quae fenestrae! Quam scite depicta specularia! Qui colores, quam vividi! Quae coassatio! Quae tabulae! Quae signa! Cuiusnam haec sunt?

V. — Hoc Mutii Scaevolae...

I. — Tanta arte effectum, ut non certe dici possit Mutus etiamsi Mutius. Quid mutiat?

L. — Id profecto: « Non incendet me hic ignis, quoniam alius maior ardet me intus ».

V. — Simulacrum, quod sequitur, est Helenae...

I. — Ex lemmate coniicitur: « Utinam fuisse semper talis; minus nocuisse ». At quid signat coecus ille seniculus recalvaster, indice ad mulierem verso?

L. — Homerus nonne est?

V. — Est; Helenae dicens: « Quae male tu fecisti, ego bene cantavi ».

I. — Inspice, Leopolde, lacunar quanta magnificentia deauratum!

L. — Quo spectant fenestrae?

V. — Hae in hortos; illae in cavaedium.

I. — Quid sibi vult tabula illa, in cavaedii pariete nobis opposita tam varie delineata?

L. — Nonne sciothicicum est?

V. — Id ipsum. — Adeamus nunc cubiculum et conclave

L. — Pulcrum certo huiusmodi cubiculum cum pavimento contabulato tapetibus hinc, storeis inde tecto. Quae imago super lecto? Plagula est enim fere omnino occulta, ut discernere possim.

V. — Beatae Virginis cum Christo puero, quam Botticellius olim Florentiae effinxit.

I. — Num herus tuus trusatili arcula utitur ?
Inter supellectiles eam non video.

V. — Armarium istud, speculo per longitudinem fere omnino coopertum, in vicem eius posuit. Bifariam dividitur, pro vestiario scilicet ac linteario. Prope est penularium, in quo vestes cotidiani usus suspendantur.

L. — Lychnus ille pensilis electricam lucem praefert, an non ?

O. — Ille, ac lucernae omnes, quae in insula sunt.

I. — Quid scriptum est in limine superiore huius ostii ?

V. — « Recipe te in portum tranquillitatis affectuum ».

I. — Quid in interiore poste forium ?

V. — « Ne induxeris in portum tempestatem ».

I. — Egregie dicta.

V. — Ah ! conclavis huius clavem abduxit dominus.

L. — Nummariane capsae in eo asservatur ?

V. — Vacua tamen, quando herus procul abest.

I. — Undenam odor hic acutus ?

V. — A proximo balneo, ubi mattiacae pilae et vascula odoramentorum asservantur.

I. — O bellum gurgustium cum laterculis hisce alba maltha illinitis; cum urnario ex marmore, malluvio ex Iaponica argilla !

V. — Diaphragma illud abscondit lavacrum et hydrothecam cum sua machina ad calefaciendam aquam.

I. — Nonne etiam balneos pensiles ?

V. — Imo eas recentissime conceptas. — At pergamus in alterum aedium membrum, quod est hibernum. Videtis omnia obscuriora et magis tecta.

L. — Punicanos lectos ac sedes ex holoserico villoso...

I. — Dossualia pro hypocaustis...

L. — Dicunt hypocausta bonae valetudini obnoxia.

V. — Non tamen quum fumus per optima aestuaria evadat.

I. — Quae est illa camera tam bene fornicata ?

V. — Sacrarium, seu sacellum : ibi agitur res divina.

L. — Turriculae illae, et pyramides, et pilae, et indices ventorum, omnia qua venustate, quam admirabili arte !

V. — Descendamus. — Haec est culina...

I. — Cuius machinae hastrum illud ?

V. — Organi pneumatici ex supposita cisterna.

-- Hoc est promptuarium ; haec cella vinaria.

L. — Quot lagenae !... Salivam, hercle, movent !

V. — Sequitur cella penuaria, in qua mire infestamur rapacitate furum.

L. — Qua tandem est hoc furibus ingressus ? Omnia video probe clausa et fenestras cum ferreis cancellis.

V. — Per rimulas et foramina.

L. — Mures ergo sunt et mustelae, quae vobis penum diripiunt.

V. — Illud est posticum domus, firmatum plerumque duabus seris, affixa et pensili.

I. — Cur fenestrae hae non habent cancellos ?

V. — Quoniam raro aperiuntur ; spectant enim ad angustum angiportum, ut cernitis, et obscurum. Raro quisquam hic assidet aut profert caput ; ideo et clathrare eas statuit herus meus.

I. — Quibus clathris ?

V. — Fortasse ligneis ; nondum est certum ; interea repagulum hoc sufficit.

L. — Quam amplae columnae et porticus plena maiestatis ! Vide ut Atlantes illi et Caryatides speciem praeferunt entitentium, ut fulcianta edificium, ne ruat, quum nihil agant. Tales multi sunt, qui magna videntur praestare, quum otiosi et segnes vivant, frumentos alienis laboribus. — Sed quaenam est domus illa inferior huic adiuncta, tam male materiata et ruinosa ?

V. — Est vetus aedificium, quod, quia ducebatur rimas, et vitium faciebat ingens, herus meus decrevit hanc alteram a fundamentis erigere. Illa nunc nidulatio est avium et habitatio murium, furum scilicet eorum, quos dixi. Sed brevi eam demoliemur.

L. — Sint gratiae tibi quod tam humanum ducem te nobis praebuisti.

I. — Et meas habe.

V. — Absit inutilis verborum honos. Salvete.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Ritum.

De iudiciali ordine servando in causis Servorum Dei procedentibus per viam casus excepti.

In huiusmodi Causis per decretum *Cum in agendis d. xi mens Novembr. MCMXII* vetus disciplina instaurata est prouti sequitur :

I. — Abrogato penitus quovis alio iudiciali ordine, ante omnia, more solito, perquirantur diligenterque recognoscantur scripta Servi Dei : tum confecto ab Ordinario processu super fama sanctitatis vitae, virtutum (vel martyrii) et miraculorum, quo respondeatur quæstionibus : « An in loco sit constans et communis fama et persuasio de sancta Servi Dei in terris conversatione (vel de eius martyrio et martyrii causa), necnon de miraculis ad eius intercessionem patratis : an ibidem de praesenti vigeat ipsius S. D. cultus et quibus

obsequiis S. D. honoretur», eoque ad S. Congregationem transmisso et ad normam iuris aperto, proponatur in congregacione ordinaria dubium: «*An signanda sit Commissio introductionis*» exquisito in scriptis voto trium consultorum, quorum sententiam S. Rituum Congregationis Secretarius in ipsa congregacione ordinaria referet.

Signata Commissione, expediantur litterae remissoriales ad viros ab ipsa S. C. electos, ut, ad tramitem iuris, processus apostolicus instruatur super casu excepto et sententia feratur. Processu vero ad sacram Congregationem transmisso et aperto, atque comparata a causae patrono positione cum animadversionibus promotoris S. Fidei et responsionibus ipsius patroni, in ordinaria congregacione proponatur dubium: «*An confirmanda sit sententia iudicis delegati*».

II. — Processus probare debet tum cultus initium, tum eius iugem continuationem usque ad sententiam delegati iudicis.

III. — Documenta historica manu scripta, autographa tamen et impressa, cultus antiquitatem eiusque iugem continuationem comprobantia, transmittantur ad sacram Congregationem, ut a viris peritis examinentur: in casu vero quo ad S. C. transmitti nequeant, a peritis S. C. recognosci debent ubi asservantur.

IV. — Si sententia super casu excepto favorabilis fuerit et a Summo Pontifice adprobata, expediantur litterae remissoriales ad processum super virtutibus vel super martyrio eiusque causa, iuxta diversitatem causarum. Quo item ad S. C. transmisso et aperto, eiusque validitate adprobata, in tribus Congregationibus, nempe antepreparatoria, preparatoria et generali, proponatur dubium super virtutibus vel super martyrio eiusque causa, prout fit in causis procedentibus per viam non cultus.

V. — Post editum Decretum, si Ssmo. placuerit, de heroicitate virtutum vel de martyrio, et de cultu immemorabili, Servus Dei dicitur aequipollenter beatificatus, et tunc tantum locus fit Officio et Missae, quae concedi non possint nisi iis Servis Dei, qui beatificationis vel formalis vel aequipollentis, ut vccant, honore decorati sint.

VI. — Occasione confirmationis cultus, iis quorum interest, primo anno a confirmato cultu, inchoando a die editi Decreti, in ecclesia in qua adservatur Servi Dei corpus, vel ipse Servus Dei peculiari veneratione colitur, triduana sacra solemniter celebrare liceat.

VII. — In progressu ad canonizationem omnia pertractentur, ut in causis Servorum Dei procedentibus per viam non cultus: requiruntur vero quatuor miracula post indultam venerationem patrata.

Decretum de Causis Servorum Dei procedentibus per viam casus excepti, quarum discussio, edito Decreto d. xi mens. Nov. MCMXII, suspensa fuit de mandato Sanctissimi.

Edito Decreto *Cum in agendis* die xi Novembris superioris anni, quo sanctissimus Dominus noster Pius

Papa X iudiciale ordinem sancivit servandum in Causis Servorum Dei procedentibus per viam Casus excepti, quum Sanctitas Sua mandasset, ut suspensae manerent Causae omnes eius generis quae apud sacrorum Rituum Congregationem agi cooperant, non exclusa Causa Servi Dei Isnardi ex Ordine Praedicatorum, Beati nuncupati, donec ipsa Sanctitas Sua eminentissimo Cardinali eidem Congregationi Praefecto, vel eiusdem Congregationis Secretario, mentem suam aperiret: quumque interea nonnulli Postulatores per S. Rituum Congnisi. Secretarium supplicibus votis ab ipso sanctissimo Domino nostro quaesissent, an sibi liceret prosequi Causas ante memoratum Decretum inchoatas, easque ad finem perducere veteri procedendi ordine servato; Sanctitas Sua negativum dedit responsum.

Ex speciali vero gratia concedendum esse duxit, ut resumi possint illae Causae quae, quamvis tractatae iam fuerint apud sacrorum Rituum Congregationem, nondum tamen ad exitum pervenerunt per approbationem vel confirmationem Sanctitatis Suae; et illae praeterea quarum positiones typis impressae traditae fuerunt Promotori Fidei ante promulgationem Decreti memorati, iuxta elenchum ab ipso Promotore confectum et sacrae Rituum Congregationis Secretario exhibitum; quae omnes ita pertractandae erunt, ut quadam indulgentia et moderatione adhibita, eiusdem Decreti substantia omnino servetur, hoc tamen pacto, ut:

1. Non procedatur ad ulteriora, nisi peractis, more solito, perquisitione et revisione scriptorum, si quae sint.

Si post revisionem scripta approbata fuerint, in Congregatione Ordinaria dicutiatur Dubium, nisi discussum iam fuerit, «*An sententia lata ab Ordinario super Casu excepto confirmanda sit*». Cuius Dubii favorabilis resolutio erit, vel «*Confirmandam esse sententiam, ita ut ad ulteriora procedi possit*», vel «*Sufficienter constare de Casu excepto, ut ad ulteriora procedi possit*», prout res tulerit.

3. Secretarius favorablem Congregationis resolutionem, ut supra, Sanctissimo referat cum rationum momentis, in compendium redactis, quibus suffragatores innixi sunt; quam Pontifex, si ei visum fuerit, auctoritate Sua confirmabit, iuxta ea quae Ipse constituit in Decreto *Cum in agendis*. Declarat autem Sanctitas Sua vim huius confirmationis, prout ex eodem Decreto eruitur, non eam esse ut censeatur Pontifex illico permettere cultum Servi Dei, sed tantum facultatem facere ut ad ulteriora procedatur: quum enim agatur de antiquissimis Causis, eadem Sanctitas Sua non intendit cultum approbare, nisi iudicialiter constiterit de fundamento rationabili cultus, nempe de virtutibus Servorum Dei.

4. Si Sanctissimus hanc confirmationem addiderit, mandetur Ordinario, onerata eius conscientia, ut sacrorum Rituum Congregationi significet, an eo loci vigeat fama de sanctitate vitae, virtutibus et miraculis

Servi Dei, et quae opera virtutum praecipua a fidelibus, ex traditione, Servo Dei tribuantur; vel an fama sit de martyrio eiusque causa et signis. Postulator autem syllogem virtutum ipsius Servi Dei cum instrumentis et documentis historicis illius virtutes probantibus tradat Promotori Fidei, qui pro rei veritate relationem faciat; eaque typis impressa eminentissimis PP. Cardinalibus et Praelatis Officialibus distribuatur. Si eminentissimi Cardinales in Congregatione Ordinaria, auditio voto Praelatorum Officialium, decernendum censuerint, constare de virtutibus Servi Dei in gradu heroico, eorum resolutio Sanctissimo referatur, ut videat utrum cultus Servo Dei praestitus, sit confirmandus neque.

5. In ceteris omnibus Causis huius generis Decretum diei 11 novembbris 1912 ut supra, religiose servetur. (D. xxxi mens. Ianuarii MCMXIII).

Declaratio circa Rubricas tit. x, num. 2 et 5 de Missis votivis et «de requie».

In nova Rubrica Constitutioni Pianae *Divino afflato* adiecta tit. x, num. 2 et 5, «prohibentur Missae votivae privatae seu lectae pro defunctis, in feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, II. Rogationum, in vigiliis, et in feria in qua anticipanda vel reponeenda est Missa Dominicae; in Quadragesima vero permittuntur Missae privatae defunctorum tantum prima die cuiuscumque hebdomadae libera in kalendario ecclesiae in qua Sacrum celebratur.

Nunc vero ad dirimendas quaestiones nonnullas S. Rituum Congregationi propositas circa applicationem praefatae Rubricae quibusdam Missis votivis privilegiatis tum in Ecclesia universalis, tum certis in locis per Indultum apostolicae Sedis concessis, firmis manentibus legibus et privilegiis Missas solemnes seu in cantu respicientibus, quoad Missas privatas lectas, ea quae sequuntur decreta sunt atque declarata:

I. — Privilegium Missae votivae lectae, de speciali gratia nonnullis Sanctuariis concessum, ita ut celebrari possit in duplicibus I et II classis, seu etiam II classis tantum; et privilegium Missae votivae Ss. Cordis Iesu in prima feria VI cuiusque mensis, permanent in suo robore, etiam in feriis et vigiliis per dictam rubricam exclusis.

II. — Privilegium Missae votivae lectae aliquibus Sanctuariis aut aliis ecclesiis vel communitatibus quocumque modo et titulo eoncessum, ita ut celebrari queat tantummodo in duplicibus maioribus et minoribus, et exclusis feriis, vigiliis et Octavis privilegiatis, sic erit deinceps applicandum; ut dictae Missae votivae lectae prohibite sint in omnibus feriis in praefata rubrica enumeratis. Loco tamen huiusmodi Missae votivae, extra feriam IV Cinerum, hebdomadam maiorem et vigilias Nativitatis et Pentecostes, adiungi poterit oratio ipsius Missae votivae, vel in Missa de die post orationem feriae seu vigiliae, vel in Missa de feria seu

vigilia ante alias orationes. Quod si adsit specialis cursus populi, unica Missa lecta ex praedictis Missis votivis celebrari poterit, quoties Missa in cantu comode haberi nequeat.

III. — Privilegium Missae votivae lectae pro sponsis ita erit applicandum, ut liceat, extra tempus clausum, haec Missa dici etiam in praedictis feriis et vigiliis.

IV. — Privilegium Missae pro defunctis lectae aliquibus locis vel Ordinibus concessum ita ut bis vel ter in hebdomada celebrari possit etiamsi occurrat aliquod duplex maius vel minus, in posterum ita erit applicandum, ut intelligatur tantummodo concessum pro diebus in quibus non occurrat aliqua feria aut vigilia, ut supra. Quapropter in huiusmodi feriis vel vigiliis Missae lectae pro defunctis semper prohibitae sunt, exceptis Missis in die obitus vel pro die obitus, in ecclesiis ubi celebratur funus alicuius defuncti cum Missa in cantu; item excepta unica Missa quae pro defuncto paupere celebrari potest iuxta decretum d. ix mens. Maii MDCCCLXXXIX, n. 4024; item Missis quae in sepulcretis celebrantur, ad normam decreti d. xix mens. Maii MDCCCLXXXVI, num. 3903; item exceptis Missis lectis in prima die libera uniuscuiusque hebdomadae in Quadragesima iuxta novas rubricas. Ex indulgentia vero sanctae Sedis habentur adhuc valida, donec expirent, Rescripta quinquennalia, aliquibus dioecesisibus et provinciis religiosis exteris nuper concessa, celebrandi bis in hebdomada Missas lectas de Requie in die obitus seu depositionis, tertio, septimo, trigesimo et anniversario.

(D. VIII mens. Februarii MCMXIII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Februario MCMXIII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque munieris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Pontificii Seminarii Pii moderatores et alumni; De Leyen, Princeps, eiusque uxor; Liechtenstein, Princeps fo mina; Andrassy, Comites; Georgius De Gumpenberg, Marchio; Iosephus Della Torre, Comes, popularis unionis inter Italiae catholicos Praeses nuper renunciatus; Aloysius De la Grange, Dynasta; De Langle, Marchionissa; De Cossè, Comitissa; Du Chastel, Comes; Firminus Calbeton y Blanchon, Hispanici regni senator, atque legatus extraordinarius pro sua civitate nunc ad Pontificem missus; Aloysius Lancellotti, Princeps Urbanus; Camillus Desmairères, Vicecomes; De Pimodan, Comitissa; Thomas Antici Mattei, Princeps Urbanus; De Radziwill, Princeps; Eugenius De Biver, Comes; Ludovicus De Pastor, eques torquatus, eiusque uxor; Ludovicus Chigi Princeps Urbanus; Bernardus Pichardo, eques torquatus, Dominiciana civitatis legatus ad nuncium Pontifici ferendum de novi rei publicae praesidis, illmi. ac revmi. viri Adulphi Alexandri Nouel, electione; De Croij, Princeps, eiusque uxor; Thomas Balbi, Comes; Genuensis ci-

vitatis legatio, ob denegatum ab Italico gubernio electo archiepiscopo officii sui exercitium, sollemniter apud Pontificem interpellans.

Pontificiae electiones.

Illus. ac revmus. dñs. Franciscus Ragonesi, archiepiscopus tit. Myren., Nuntius Apostolicus Madritum mititur.

— R. p. Iosephus Lemius ex Congregatione Oblatorum Mariae Immaculatae, S. Congregationis Indicis Consultor creatur.

Ad idem officium apud S. Congregationem Studiorum r. p. Henricus de Floch e Congregatione Spiritus Sancti, et apud S. Congregationem de disciplina Sacramentorum r. p. Thomas Pégues ex Ordine Praedicatorum d'putantur.

Vita functi viri clariores.

Die IV mens. Februarii MCMXIII Vindo' onae obit Purpuratus Pater **Franciscus Xaverius Nagl**, illius civitatis archiepiscopus, ipsa in urbe natus d. XXVI mens. Novembris MDCCCLV; episcopus Tergestin. et Iustinopolitan. electus d. IX mens. Iunii MCMII; ad metropolitanam Vindobonensem promotus mense Augusto MCMXI; in Sacrum Senatum cooptatus d. XXVII mens. Novembris eiusdem anni; vir praeclaris tum religiosis tum civilibus virtutibus resplendens.

ANNALES

Balkanicum discrimin.

Tonuit reapse, uti praevidebamus, bellicorum tormentorum iterum fragor tertia die superioris mensis Februarii; quorum effectus non aperte satis innotuerunt, militaribus exterarum nationum legatis, itemque diurnorum scriptoribus prohibitione a bellantibus facta, ne ulterius exercitus sequebantur.

Dum itaque omnes putant hostilia apud Ciatlgiam acriter renovari, dumque de die in diem Adrianopolis urbis deditioem exspectant, proelia ex Thracica Chersoneso aunciantur magna vi utrinque acta, non eo tamen successu, qui asperam hanc diuturnamque quaestionem dirimere tandem valeret. Quinimo huiusmodi veluti *stasis* et spem aliquam excitavit, Europaearum nationum officia non omnino interrupta fuisse; eamque eventus confirmare videntur, siquidem quum scribimus pro certo affertur, utramque partem se aequo magnarum Europaearum, quae vulgo dicuntur, nationum animo commissuram pro certis atque definitivis pactionibus de pace constituendis. — O utinam auspicia addicta fuerint!

Mexicanum civile bellum.

Latinae Americae populi in quadam quiete vivere iam aliquo tempore videbantur, quum ex improviso atrox civile bellum in Mexicana repu-

blica exarsit, a factiosis hominibus qui Felicem Diaz tamquam ducem sequuntur, submotum, contra Madero praesidem. Initio rebellis partis fautores numero inferiores apparebant, ita ut facile vinci possent; verum Huerta et Blanquez imperatoribus per proditionem ad inimicos transmigratis, conversae sunt res, ac primum praesidis frater per fraudem est occisus, deinde ipse Madero et Juarez, alter a praeside, interempti. Rerum status, valde implicitus, Civitatum Foederatarum Septentrionalis Americae interventum ne provocet?

In Mauritania.

Iuxta foedus Hispaniam inter atque Galliam initum, Hispania Tetuan occupavit, quae urbs caput erit Hispaniae orbis in Mauritano imperio. Ibidem Alfen imperator sedem ponet, copiarum omnium iamnunc praefectus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In Anglia lex de rationibus imperii ab ecclesia in Vallia separandis, quae a populi legatis fuerat approbata, apud Senatum reiecta est.

In Belgica de militari re innovanda rogatio legis prima vice rata habita.

In Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis summa imperii pro Praeside ad sex annos dilata; prohibitum tamen ne sine annorum sex intervallo idem Praeses iterum eligi possit.

In Gallia rationes expensarum pro re navalium in disceptionem vocatae.

In Germania publici coetus legati qui catholicas rationes protuentur obtinuere, ut lex qua Patres e Societate Iesu a civitate arcebantur, aboleretur.

In Hungaria Zichy, Comes, publicae institutionis minister, a munere abdicavit, in eiusque locum suffectus Bela Iankowic.

In Iaponia novum administratorum collegium constitutum, praeside Yamamoto.

In Italia novae rationes circa ritum apponendi poenas constituae.

In Russia descriptae formae de civitatis defensione, de bellicis tormentis augendis, de militari portu ad Reval constituendo, apud publicum coetum lege confirmatae. In Senatu autem rogatio legis exclusa de patrocinio apud tribunalia mulieribus concedendo.

PER ORBEM

Die IIII mens. Februarii MCMXLI, Neapoli, ob aucta urbis vectigalia, opificum omnium ab operibus desertio fit, tumultusque excitantur, quos per vim reprimere oportet.

— d. IV sylvae Australis regionis Victoriae immani incendio late absumuntur.

— d. V inter ferriviae stationes Elisabeth - Stadt atque Mediasch curruum series vapore actorum in alteram occurrit, quae, petrolei dolia vehens, facile incenditur. Viatores tres vulnerantur; ceteri, inter quos Eitel Fridericus, Borussiae princeps, incolumes fauste omnes evadunt.

— d. VIII flammæ, qua de causa exortæ ignoratur, Boghazkechen Tophane, Constantinopolitana num vicum, ligneis domibus frequentem, fere omnino destruunt.

— d. IX atrae procellæ Angliae septentrionales provincias late pessumdat.

— d. X ex nova Zelandia nunciatur Scott, antarcticae expeditionis dux, polum mense Ianuario superioris anni MCMXII attigisse; quum vero rediret, nivali turbine oppressus, cum comitibus aliquot miseram mortem inter glacies occubuisse.

— d. XII Romæ placide quiescit in Domino Rosa Sarto, Pii X P. M. soror, Riese, in oppido Tarvisinae dioecesis, orta d. XII mens. Ianuarii MDCCXL.

— d. XVI aviatoriae artis internationalis publica exhibitio coram Anglorum rege Londini inaugurarunt.

— d. XVI Sultan-Ahmed, Byzantinus vicus, et ipse ignis praeda fit.

— d. XVII, Lutetiae Parisiorum, Raymundus Poincaré, novus Gallicae reipublicae praeses ad septennium renunciatus, in imperii possessionem sollemniter immittitur.

— d. XIX Troyki, Petropolitanum templum a Petro illo Magno conditum, quod merito antiquitatis museum appellari poterat, malo fato comburitur.

Incendium alterum Kando ex oppido ad Tokium nunciatur, unde tria millia aedium ac trecentae exustae feruntur.

— d. XXIII Berezovski vulcanus media in Kamchaka peninsula positus, multo abhinc tempore quiescens, excitari iterum videtur cineresque copiose evomit.

— d. XXV Daniae rex ac regina Berolinum pervenient Germanicam imperiale domum visitaturi.

— d. XXVI novae ex Antarctic poli explorationis victimæ lugentur: Ninnis, Anglicus centurio, et Mertz, Helveticus doctor.

— d. XXVII Romæ vita fungitur Angelus De Gubernatis, vir multarum litterarum cognitione clarus. Augustae Taurinorum natus erat d. VII mens. Aprilis MDCCXL.

— d. XXVIII Las Palmas insula terrae motu concutitur, nulla tamen hominum iactura.

AENIGMATA

I.

Occiduis peterem Eoas regionibus oras,
Quo placet ibo; viae haud fessa labore premar.
Hinc minor aut maior numeratur massa metalli,
Si brevis aut longius sit labor ille viae.
Sic ego vicatim gestantis debile corpus
Missa traho, noceat ne manus ulla mihi,
Vaginis non arma gero, sed stellata monstro,
Atque styli nivea cyclade claudio notas.
Vos idem simul ardor habet me optatis adesse;
Hinc cupide vestros calco recepta lares.
Aeris pressa notis venio; laceratis at illis,
Reclusam tantum lumina vestra vident.
Demite velamen primum, quod cinxerat artus,
Si placet in patulas lumina ferre genas.
Dum placet obtutus detectae immittere fronti,
Frons mea non vili, visa, pudore rubet.

A. EPIRO.

II.

Vin tu, me a cauda, vin, rostro me legex: longo
Est eadem semper bestia, nomen idem.

I. WABNER.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

EPLIUS

Actio dramatica I. B. FRANCESIA
in tres actus distributa.

Aenigmata an. XV, n. XII proposita his respondent:

I (vulgo REBUS): Neque intus neque foris.

II. Is-is.

Ea rite soluta miserunt:

Athan. Hepp, *Sancto Leone in Florida*. — Petrus Tergestinus. — Diomedes Falva, *Constantia*. — B. Ferraris, *Augusta Taurin.* — Iac. Costa, *Dumio*. — Ant. Masia, *Tarragona*. — Iac. Cordara, *Parentio*. — I. Ciolli, *Papia*. — Nic. Lagumiua, *Panormo*. — St. Lowinski, *Zerlow*. — Alois. Geyer, *Ratisbona*. — Iac. Menendez, *Madrito*. — Rich, Muller, *Berolino*. — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum*. — Frid. Horwath, *Vindobona*. — F. Arnori, *Mediolano*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Lud. Dubois, *Massilia*. — Hern. Forgeot, *Nicaea ad Varum*. — Raim. Silvan, *Londino*. — Eug. Dolmar, *Chicagine*. — Mart. Dunne, *Neo Eboraco*. — I. Ortiz, *Morelia*. — Io. Martins, *Philadelphia*. — F. Wawer, *Marianopoli*. — Claudius Licensis. — Nic. Endrigi, *Salisbury*. — Alf. Martinez, *Badaicio*. — Lud. Goux, *Bituricis*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — Arch. Magliano, *Genua*. — F. X. M., *Drepano*. — F. Correa *Emerita*. — Alb. Kain, *Dublino*. — P. Prado, *Venetis*. — Carm. Zlinezky, *Cracovia*.

Sortitus est praemium:

IGNATIUS CIOLLI

ad quem missum est opus, cui titulus:

MANUTII PAULI EPISTOLAE SELECTAE
(Edid. M. Fiekelsherer).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

RÖMAE. — Ex officina Societatis Editricis Romanae.

AD ROMAM

6)

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

Iuvabit ipsum persecui consilium...
 Sic, imperator, vices adversarios,
 Tenebis Urbem tuis sub stipendiis,
 Italiam totam vocabis denuo.

PUBLIUS.

Meum licebit si consilium promere,
 Cave, imperator, cave ab hac sententia !
 Super christianos irruant nunc fulmina,
 Sibi quae semper adprecantur pessimi.
 Et adsunt multi nostris in custodiis
 Damnandi capitis propitiae victimae.
 Sic omnes discant sibi quod profuerit
 Christum sequi, Deum quem folles autumant.
 At verberamus inanes umbreculas
 Et paucos admodum fructus colligimus.
 Dicam : profundae si radices remanent,
 Vel ad radices nos secemus arboris.
 Radix est ille qui vocatur Melchias,
 Radix est omnium senator Scipio,
 Solet consiliis suis et perfidis
 Novarum subter qui virtutum tegmine,
 Suos trahit cives ad malum turpiter.
 Hi sunt in primis plectendi maxime,
 Rapi sin vultis ad ruinam breviter.

IMPERATOR.

Placet tuum sequi, Publi, consilium.
 Mittantur milites...

PUBLIUS.

Nec palam : clanculum.

IMPERATOR.

Eos inquiram subito ! Nam in primis placet
 Hos iudicare cives, postea ad praelium.
 « Bonus nam venit Constantinus aemulus » (1)
 Suum qui forsitan renovabit Deum !
 Sciat sed ipse, ceteri cives sciant,
 Suis favent partibus arte turpissima,
 Adhuc regnare Romae nunc Maxentium,
 Solet qui lites gladio dirimere,
 Suosque varios hostes deperdere...
 Et illos primum dicunt quos discipulos
 Iesu quem falso ponunt inter numina
 Quod ipse in caelis iners gaudet otium,
 Sui laborant dum magnis angoribus ?
 Ego hos plectam, caedam, perdam citissime,

(1) Ironice.

Ut ipsi candidas feramus hostias.
 Sic ille primus adpellatus Melchias
 Qui Christianorum princeps est et caput.

CHRISTIANI CIVES (*submissa voce*).

- 1. Audistin ?
- 2. Audivi !
- 3. Christianis horrida
 Ruit procella, tollit quae multissimos
 In agro florent teneri qui calami.
- 1. Iuvat sed in primis monere socios
 Agant prudenter !
- 2. Abdant se, sint in tenebris
 In istis magnis fidei periculis.

SCENA VII.

MELCHIAS *cum aliquot civibus, et dicti*.

CHRISTIANI CIVES.

- 1. Adest !
- 2. Quis ?
- 3. Ipse !
- 4. Quisnam ?
- 1. Ipse nam Pontifex !
- 2. Cur ita, Pater, curris in periculum ?

MELCHIAS.

Novi meas oves vexari pessime
 Vocari ad bestias, lancinari gladiis,
 Trudi in custodiam, tradi ad supplicium :
 Stabit quis abditus remotus praeliis ?
 Mali quid egimus, quidve peccavimus ?
 Licebit vobis profanare thalamos,
 Supremum divum sic venerando Iovem !
 Furtis adorare turpem Mercurium ;
 Superbos esse, fraternalis lites serere,
 Occulte fratrum sanguinem profundere,
 Vos esse sacrum divinumque creditis,
 Et hos vos dicitis laude dignissimos,
 Deos vos esse, tura mereri creditis...
 En, imperator, omnes, et satellites
 Meum si vultis avidius sanguinem,
 Sinite istos abire directe liberos.

IMPERATOR.

Quis est hic audax ? qui vocaris ?

MELCHIAS.

Melchias !

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.